G1899/10

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE Curatione Febrium a Contagione;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOSEPHUS ROGERS,

Hibernus.

——————————if vain our toil,
We ought to blame the culture, not the ſoil.

POPE.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVIII.

350337

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

P A T R I

SUO OPTIMO,

BAYLY ROGERS, M.D.

Qui teneros per annos alente manu diligentiſſime educavit, qui jam puberem maxima benignitate et amicitia proſecutus eſt, juveniſque multa delicta condonavit; denique, qui paternas propter virtutes et philanthropiam maxime venerabundus et imitandus, hocce opuſculum, animo perquam grato, dicat filius

JOSEPHUS ROGERS.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30385970

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

Curatione Febrium a Contagione.

OMNIS febris ex ſymptomatibus ſalutiferis et morbidis conſtat, niſi morbus ſuum tam cito percurrat ſtadium, ut vitam ante extinguat, quam ſymptomata ſalubria occurrere poſſunt; quoſdam igitur motus, ad cauſam debellandam, et ſanitatem reſtaurandam excitatos plerumque videmus; et ſi ſalutares naturae vires a perniciosis morbi effectibus diſcernere poſſimus, proſpera a tali diſcrimine medendi ratio deduci poſſet, illas adjuvando, hoſve moderando,

 prout

prout prudentiae conſentaneum videretur; ſed Reactio, vel vis ſalutifera ſyſtematis, tam obſcura obvolvitur nocte, ut eam non niſi maxima cautela ſequi oportet; ſaepiſſime enim fallacem ſe prebet ducem; et forſan tutius eſſet ad ſymptomata quae mortem minitantur attentionem convertere.

Quoniam in animo eſt cura harum tantummodo febrium ab actione effluviorum paludum, vel humani corporis ortum ducentium, in duo capita mortis cauſae ſeſe reſolvunt:

1. In actionem cauſarum remotarum in ſyſtema nervoſum, vitale principium extinguentium, aut debilitatem inducentium.

2. In actionem veneni, ſcilicet, miaſmatis vel contagii, in maſſam ſanguinis agentis, eamque, et fluida exinde ſecernenda, in putredinem vertentis, praeſertim morbi ſtadio provectiore.

Quocirca poteſtates ſedantes in febribus mortem inducentes ad duo capita, ut diximus, referri poſſunt, ad *debilitatem*, viz. et *putredinem*.

Ex

Ex phaenomenis ſub ingreſſum febris occurrentibus colligendum eſt, cauſas remotas naturae ſedantis eſſe, et ſi in caſibus quibuſdam debilitatis ſigna haud evidenter apparent, tamen attentione diligenti ea percipere poſſumus, et in febribus a miaſmate vel contagione ortis, hujus generis ſymptomata ocius ſeriuſve ſeſe oſtenſura, pro certo concludere debemus.

Subitus morbi inſultus, variaque ejus phaenomena, nobis ſuadent, has vires ſedantes in ſyſtema nervoſum directe agere, id debilitare, et vigorem corporis totius ab eo pendentem imminuere, et, ut Clar. *Culleno* viſum eſt, modo quodam ſingulari, vaſorum corporis ſuperficiei atoniam inducere. Propter debilitatem ſic illatam, ſanguis minori vi et copia in vaſa propellitur extrema; ob hanc cauſam, vel ob imminutum vaſorum tonum, vel vim nervoſam ſubtractam, vel tantummodo ob *vires naturae medicatrices* ad morbum tollendum excitatas, *ſpaſmus* oritur vaſorum extremorum, et a conſtanti et ſolenni regula, qua illum excipit *reactio*, colligendum

ligendum eſt, ſpaſmum eſſe cauſam, reactionem vero effectum. Hujus phaenomeni explicatio tam curioſa quam difficilis eſt; nihil aliud vero addam, quam, quod ſpaſmus hic nervoſum ſyſtema, inſtar ſtimuli, afficere videtur, quo ſit ut tonus amiſſus ſyſtemati ſanguifero reſtituatur, et actio ejus, quae ad ſolutionem tam neceſſaria eſt, augeatur.

Sed ne errare videar nimis prolixe *cauſam proximam* perſcrutando, omiſſo omni vano conatu, qui ad enodationem difficultatum fere inſuperabilium tenderet, memorare cupio ea ſymptomata quae debilitatem maxime deſignant; haec enim via ad praxin tutam et juſtam ducit.

Porro, a deliberata ſymptomatum trutinatione plus emolumenti capere poſſumus, quam ab indaganda febrium natura, quae re vera obſcura eſt, multiſque tenebris implicata.

Inter prima enumerari debet Laſſitudo quaedam, vel inaptitudo et debilitas ad ſolitos perficiendos motus, aut etiam ad corpus in ſitu naturali vel neceſſario ſuſtentandum; non ſolum virium defectio, ſed motus inordinati

ordinati hanc exiſtere debilitatem arguunt; hoc modo etiam tremores et ſpaſmi tonici ſunt explanandi, ut etiam Pulſus frequens, debilis, et abnormis; languenti ſanguinis circuitui, deliquium a minimo motu, vel, capite erecto, ad idem proclivitas, ſunt tribuenda; Oculorum quoque hebetudo, Viſus duplex vel caecitas, ab eadem cauſa provenient. Ut a circulatione pendentem memorare poſſumus corporis calorem depravatum, et molem imminutam, quae omnia, utpote ab inanitione vaſorum et minuta eorum actione, a debilitata vi cordis et arteriarum oriuntur; aliud etiam ſignum occurrit debilitatis, nempe, celer et perdifficilis *Reſpiratio*, poſt vel minimum motum aucta.

Idem denotant vox vacillans et ſaepe ſuppreſſa, Vultus languidus vel fixus, Fulgor oculorum obſcuratus, vel omnino amiſſus. Quod ad ſenſus internos attinet, primo forſan ratio adeſt; ſed poſtea mens confuſa eſt; memoria labefactatur et perit; deinde ſuperveniunt ſomnus abruptus et irrecreans, inſomnia terrifica, quae plerumque delirium praecedunt: His addamus ſoporem vel coma,

ma, quae omnia, ſecundum Clar. Cullenum, a diminuta et inaequali cerebri excitatione oriri opinamur ; eodem principio etiam aliqui deleti vel imminuti ſenſus ſunt explicandi, et eidem cauſae ſunt tribuendi.

In functionibus ſtomachi laeſis etiam debilitatis effectus apparent, qui, cum pro ratione virium ſyſtematis fractarum ſint, ſic maximi ſunt in febribus a contagione ortis.

Faecum et urinae excretio inſolita ſive involuntaria.

Haec et multa alia ſymptomata effectus debilitatis, pro certo aſſerere poſſumus ; ſed et alia extant quae dictu difficilia ſunt, utrum debilitatem, irritationem, vel determinationem topicam, pro cauſa agnoſcunt : Hujus generis ſunt aucta alicujus ſenſus ſenſilitas, ut oculi ad lucem, ad ſonum auris ; haec ab tenſione vel irritatione adaucta, hanc vel illam afficiente partem, generali circuitu adhuc immutato, oriri opinamur : Ejuſdem ſunt generis pulſus valde tardus et plenus, cum cerebri oppreſſi indiciis, ut ſomnus impeditus, ſomnia, inquietudo, et delirium, quod aliquando ferox eſt, motus ſpaſmodici et

convulſivi,

convulſivi, quae omnia irritamenti vel diſtributionis inaequalis plus minus ſigna ſunt.

Haec ſunt breviter enumerata ſymptomata a debilitate pendentia; poſtea putredinem indicantia memorabimus, de modis illi obviam eundi acturi.

Diſſectionibus patet, mutationes, agente contagione factas, eſſe in ſyſtemate muſculoſo atoniam, et (quoniam ſint ejus partes et maximi momenti) cordis et arteriarum; quocirca, *medendi ratio* praecipue hoc cardine verſatur, nempe, *tonum* et *vigorem* ſyſtematis reſtituere. Hoc efficitur a *tonicis ſtimulantibus*; et quoniam ſpaſmus non ſolum gignitur, ſed inveteraſcit, debilitate, alia remediorum claſſis prodeſt, nempe, *antiſpaſmodica*. Antequam vero de his dicere aggrediar, effectus primarios contagionis ſaepe aſpectu variari obſervandum eſt, vel ob ſtatum ſyſtematis praevium, vel ob frigus eodem tempore applicatum; hoc in caſu morbus febris plane inflammatoriae formam induit, ad quam diſtinguendam omni peritia atque diligentia

ligentia opus erit.—Quoniam in dubio haerentes, ne ultra limites juſtos exinanitiones producamus, maxime cavendum eſt; nam ab una parte, ſanitatem tardius receptam faciemus, ab altera, ſtatum illum debilitatis periculoſiſſimum, ſponte ſuperventurum, male feſtinabimus; ad hos duos inter diſtinguendum caſus, partim epidemiam graſſantem pro duce habebimus, cauſaſve remotas cognitas vel ſuſpectas, anni tempus, praecedentem aegroti ſtatum, vel evacuantium effectus; et cum pro certo habere poſſimus, contagionem cauſam eſſe remotam, ſed, praeſente diatheſi phlogiſtica, morbum ſynochae faciem prae ſe ferre, tunc ut in hoc morbo ad juſtam nobis recurrendum eſt adminiſtrationem

Regiminis Antiphlogiſtici.
Frigoris.
Emeticorum.
Refrigerantium.
Venae ſectionis.
Purgationis, &c.

Nunc

Nunc prudenti uſu horum remediorum, ſtatum inflammatorium penitus eſſe ſublatum ponamus, et conditionem illam, de qua agere decrevimus, exiſtere, ad modos debilitati obviam eundi tradendos, memet accingam.

TONICA.

Primo de FRIGORE pauca dicemus.

Hoc remedium viribus et tonicis et ſtimulantibus gaudet; ſed, ut hiſce effectibus fruamur frigoris, per breve temporis ſpatium applicandum eſt, et gradu haudquaquam intenſo, aliter ſedative ageret, quod ut aegrotum maxima afficeret injuria, omnibus in aprico eſt. Quoad *operationem* ejus, eam ſtimulando et vaſa roborando, quibus ſit applicatum, fieri opinamur.

Conſtat apud omnes, frigus diatheſin phlogiſticam et inducere et augere poſſe; hinc ejus effectus pro maximo erit commodo,

ubi vaſa extrema et ſyſtema univerſum atonia laborant. Remedium eſt certe naturale, nam nil ſaepius aut avidius febricitantes cupiunt aëre vel potu frigido, quibus ſub formis maxime hoc utimur remedio.

POTUS FRIGIDUS.

Inter omnes fere partes corporis mirabilis quidam conſenſus eſt, ſcilicet, ſtomachum inter et quamlibet fere aliam partem, ſed praecipue ſuperficiem, ſic ut hujus vel minima atonia in ventriculo ſymptomata ejus producent, et contra, tonus ſuperficiei vel auctus vel reſtitutus eodem modo ſtomachum afficiet ; ab hoc nexu concludere liceat, pleroſque bonos ejus effectus a frigore in ventriculum recepto obtinendos eſſe. Nil gratius vel aegroto jucundius, et, niſi vana me fallit ſpes, ſi largius ſaepiuſque hauriatur, omnia proſpere cedent ; cum vero phlogiſtica diatheſis aut topicae determinationis ſigna

ſigna jam appareant, ejus adminiſtratio periculoſa eſſet, ſed ultimo febris ſtadio, hoc ſtatu vel ſublato prorſus, vel magnopere imminuto, remedio utpote utiliſſimo uti liceat. Quod ad modum ejus *adminiſtrandi* ſpectat, in *intermittentibus* quamprimum ſtadium incipit calidum, et humoris ſigna apparent, vel, ubi calor fit univerſalis, parvis et repetitis hauſtibus dare convenit; hinc plerumque ſudorem movet, et ſolutionem paroxyſmi accelerat; ſed, in febribus *continuis*, ſi diatheſis inflammatoria abeſt, per totum morbi ſtadium adminiſtrare haud dubitarem, ſed aegrotum ad libitum bibere ſinerem.

AER FRIGIDUS.

Nil ad ſalutem ſyſtematis magis confert quam idoneum ejus ſervare tonum; cum igitur, propter ejus atoniam, a ſtatu ſano aberratio fiat, aëra frigidum libere et intrepide admotum efficaciſſimum experiemur; eaſdem vero cautelas ac potio frigida requirit.

In

In pleriſque ſtadiis febrium quae typhi formam induunt, aut putredinem comitantem habent, libere admittendus eſt, ſed praeſertim in provectioribus. Semper curandum eſt, ut lenes per aegroti cubiculum perflent aurae, etiam, durante aeſtate, virides et adhuc roſcidi rami allati gratum et refrigerantem diffundunt odorem, vireſque refocillant aegroti. Memoria tenendum eſt, ut ſtragula lecto impoſita quam leviſſima, quam nitidiſſima ſint; idem obſervare licet, ſi ad aegrotantis appetitus et conamina animum attendamus; fere ſemper enim auram refrigerantem captare ſolet, et ſumma niti ope ut ab onere ſtragulorum gravi ſe liberet; etiam delirio correptus idem facit, et aërem et potum frigidum enixe poſtulat; remedia quibus eo plus fidei adhibendum, quod ab ipſa natura indicantur.

BALNEUM FRIGIDUM.

Haec praxis adeo diſcrepat ab ea medicis uſurpata, et tam magnopere opinionibus vul-

go acceptis, ut raro eam adhibere copia nobis datur; praeterea, tam audacter factum videretur, ut, ſi aliquid praeter vota accideret, aegrotantis amici iſtiuſmodi infortunia huic remedio vitio verterent, nec fortaſſe medico parcerent. Haud deſunt exempla in quibus, ſive per audaciam, caſum, vel conſilium, febricitantes in flumen ſeſe praecipites dederunt, aut frigida lavantes, aut imbribus maximis expoſiti, ſummum carpſerunt fructum. In quibuſdam epidemicis, evidentiſſima putredine et debilitate comitatis, lavatio frigida morbum feliciter ſuſtulit, multis aliis remediis fruſtra tentatis; hoc et multa alia hoc genus exempla, quanta beneficia ab uſu balnei frigidi ſperanda eſſe, plane demonſtrant, et ultra dubium rem ponunt, praeſertim debilitate vel putredine multum vigente.

Sudore erumpente, manus aegri in frigidam mergere ſaepe ſudorem integravit, anxietatem diſpulit, lenemque ſomnum induxit.

COR-

CORTEX PERUVIANUS.

Ab hujus in multis caſibus tam ſubita actione, parva etiam quantitate ſumpti, in ſyſtema agere nervoſum concludere oportet. Saepenumero ſalutiferos ſuos edidit effectus, ubi in ventriculum ſolummodo operari pro certo ponere poſſumus; quapropter, ſtomacho tonum reſtaurando, et exinde toti ſyſtemati effectus ſuos impertiendo, corticem agere opinamur. Hiſce principiis ſunt explicandae vires quas exerit amovendo, et obviam eundo, debilitati vel mobilitati quae recurſui paroxyſmorum viam ſternunt. Ubi diatheſis multum valet phlogiſtica haud tuto adminiſtratur (hanc ob cauſam in ſtadio febris calido nequaquam eo utimur); ſed quoniam, incipiente tantum febre, ſtatum illum ullius eſſe momenti arbitramur, morbo progreſſo utiliſſimum et tutum inveniemus remedium, cum in hoc ſtadio atonia, vel forſan ad putredinem proclivitas, ſeſe oſtenderunt.

In

In intermittentibus, durante apyrexia, maximo cum commodo corticem exhibemus, quam proxime ante paroxyſmi acceſſionem. In febribus continuis, ubi debilitas maxima morbi pars eſt, corticis emolumento ullo morbi ſtadio potiri poſſimus; ſed aliquando, utrum typus febris continuus a debilitate vel phlogiſtica diatheſi pendeat, decernere haud facile eſt; quoniam cortex in hoc caſu noceret, inter hanc et illam dignoſcere magni erit momenti. Pulſus ad hanc rem dijudicandam, et morbi facies ſymbolam fortaſſe conferrent, ſed magis remotarum notitia cauſarum; ſic, ſi morbus a contagione ortus fuerit, cortex certius prodeſſet, ſi autem a frigore, noxius evaderet.

Quoad *quantitatem*, quo plus pulveris exhibere poſſimus, eo melius et felicius rem geremus; ſed, quoniam cum debilibus ventriculis quandoque nobis agendum eſt, et quantitatem aptam partiri neceſſe ſit, portiones ſunt repetendae quam celerrime, ut commodo a quantitate magna ſperato fruamur.

Corticis

Corticis pulverem adhibere ſemper conandum; ad celandum ingratum ejus ſaporem, cruſtulo amiciendus, vel eidem cum aqua miſto fruſtulum extracti glycyrrhizae addendum eſt; ſunt quibus haec nec ulla alia forma placet; ſi ita per os recipi nequeat, per anum injiciendus eſt.

Si Cortex, ut aliquando fit, per alvum elabitur, *opiato* tunc opus erit. Si doſes parvis intervallis repetantur, opiata poſterioribus tantum doſibus adjungimus; longiori verum tempore inter doſem unamquamque interveniente, opiatum cortici alterna quaque vice addendum; ſed neceſſe eſt ut ſaepius ſub finem exhibitionis repetatur. *Aſtringentia* quaedam alia atque *amara*, uti gallae cum gentiana conjunctae, iiſdem fere virtutibus ac cortex Peruvianus pollent.

Hic morbus facile revertitur; ideoque neceſſe eſt ut aliquamdiu caveat convaleſcens, ne corpus cauſis quibuſvis debilitantibus objiciatur; et ſi ſigna quam minima acceſ-

ſionis

ſionis ſuperveniant, ad corticem extemplo recurrendum.

Sanitate recepta, medicamenta corroborantia hoc modo ſunt omittenda, a ſolita paroxyſmi hora et die, duabus vel tribus vicibus exhibenda ſunt, dein tamdiu, vel etiam diutius, ſunt intermittenda; et ſic viciſſim iterando atque omittendo morbi reditus certius praecavebitur. Uſus atque modus operandi aliorum tonicorum, facile ex ſupra memoratis intelligentur.

STIMULANTIA.

Haec ſunt eae materiae quae vim cordis atque arteriarum adaugent, et uni corporis parti applicatae, in partes remotiores effectus producunt.

Stimulantia plurima diverſis temporibus adhibita fuerunt; quoniam vero vini virtutes merito caeteris omnibus anteponantur, atque multo minus periculi ex hujus uſu oriatur, ſat erit de hoc pauca tradere.

VINUM.

Hoc tutiſſimum atque efficaciſſimum ſtimulum eſſe, inter omnes fere conſtat. Vinum hac propria virtute gaudet, quod effectus ejus quam proxime ſeſe manifeſtant; ideoque vel perſtare poſſumus, vel continere gradum, prout aegri conditio poſtulaverit. Si doſibus magnis adhibeatur, effectus ſedantes producit; ſed parvis, ſtimulo grato atque jucundo vires reficit.

Plurima febrium ſymptomata iſtiuſmodi eſſe naturae memoravimus, ut difficile eſſet ſtatuere an ex debilitate, irritatione, vel vi reactionis oriantur; hinc neceſſe eſt, ut medicus ſeipſum cautum atque prudentem in efficaciſſimorum remediorum exhibitione praeſtet; periculum enim ex adminiſtratione inepta oriundum pro ratione virium erit, quibus haec medicamenta in corpus humanum agunt. Haec cautela in uſu vini admodum neceſſaria eſt; ſi delirium, ex. gr.

ab

ab irritatione vel determinatione aucta oriatur, vinum nocebit; ſed ſi a debilitate, efficaciſſimum invenietur remedium. Permagni erit momenti, has inter diverſas dignoſcere conditiones. Haec diſtinctio a cognita cauſa remota, ex ſymptomatum aliorum natura, vel ex remediorum effectibus, colligenda eſt; his autem non evidenter perſpectis, expectandum dum debilitas clarius innoteſcat. Aegri deſideria aliud judicium praebebunt; ſi vinum ultro flagitat, tutius adhibetur, et ſi vires ex adminiſtratione reficiuntur, et ſymptomata mitigantur, libere atque fidenter repetetur.—Vinum aliquando non ſtimulum idoneum ſuppeditat, ideoque fortiore utendum. His caſibus neceſſe eſt exhibeatur alcohol; quando autem violentius in corpus agit, prudentia ſumma in adminiſtratione adhibenda. Interdum vero vinum purum non admittendum; tunc optimum erit aqua frigida dilutum exhibere. In vini adminiſtratione attentio adhibenda eſt ad priorem aegri conſuetudinem, ſi *bibendo* curas pellere aſſuetus fuerit, non ſolum minore

periculo,

periculo, ſed etiam doſibus largioribus, porrigi poteſt.

ANTISPASMODICA.

Quod ad *modum operandi* horum remediorum, quaedam vi ſedante pollere videntur, quaedam viribus ſtimulantibus, et quaedam utriſque conjunctis.

EMETICA.

Inter pleroſque medicos mos eſt, primo acceſſu febris emeticum exhibere, et ut plurimum ratione optima, ut nobis videtur; in febrium enim acceſſionibus, pyloro plerumque ſpaſmo conſtricto, ſtagnatio fit materiarum quae in ventriculo continentur, et irritatio exinde oriunda pernicioſa, et hinc evacuatio eſt admodum neceſſaria. Vomitus in febris principio vi antiſpaſmodica morbum ſaepenumero in totum profligavit, atque

atque in genere, ut nobis videtur, emeticorum uſus primis tantum febrium ſtadiis accommodatur; nam in provectiore ſynochae decurſu, determinationes plerumque in viſcera quaedam abdominalia oriuntur, quae ex emeticis plenis doſibus exhibitis certe accumularentur, et, debilitate urgente, ſymptomata ex eorum uſu procul dubio in pejus ruerent. Minus periculi eſt, ſi ita adhibeantur ut nauſeam tantum cieant; quamvis ſic etiam ſaepe nocent diarrhoeam excitando, quae aegrum valde debilitat. In intermittentibus vero, vi eorum laxante ſaepenumero opus eſt, ad congeſtiones in viſceribus abdominalibus ſummovendas.

Quod ad *tempus* emeticis *adminiſtrandis* aptum, in intermittentibus, vel paulo ante, vel ſub tempus, paroxyſmi obrepentis exhibenda ſunt; febribus continuis tempus *exacerbationis*, in emeticis exhibendis, accurate obſervandum. Ad *acceſſionem*, vel in decurſu ſtadii frigidi ſumpta, ſaepe aut omnino pellunt, aut in calidum permutant; in ſtadio caloris data ſudorem promovent.

Prima

Prima adminiſtratione inſigniores effectus producunt, quam ſaepius repetitae; ideoque non adhibenda ſunt per totum morbi decurſum, ſed tempore acceſſionis tentanda, et febribus continuis tempus exacerbationis diligenter expectandum, et deinde emetica uſque ad proximam acceſſionem intermittenda.

Omnium hujus claſſis remediorum tart. emeticus praeſtantiſſimum videtur; propterea quod magis vel minus diſtantibus intervallis, majore vel minore quantitate, pro ratione effectuum quos producere volumus, exhibeatur.

O P I U M.

Nullum in Materia Medica extat remedium opio frequentius aut auſpicatius adhibitum. A medicis quibuſdam compertum eſt ejus medicamenti in morbis inflammatoriis adminiſtrationem, non tot tantiſque periculis ſtipatam eſſe quam vulgo creditur; ſed, ut effectus

fectus hic maxime exoptandos conſequamur, doſibus permagnis adhiberi neceſſum eſt. Parvis doſibus eodem ſtimulo gaudet quo vinum; attamen, ſymptomatis inflammatoriis ingraveſcentibus, prudentis medici eſt periculum ex ejus uſu ſuſpicare. Vi ſtimulanti vino longe inferius eſt, neque de effectibus ejus tam cito judicatur ; ubi vero irritationes vel ſenſationes moleſtae adſunt, maxima cum laude agit opium, et omnibus aliis medicamentis anteponendum eſt. Aliquando dignotu difficile eſt, utrum ex debilitate, an ex irritamento inflammatorio, haec ſymptomata profluunt ; tamen audacter et feliciter a quibuſdam recentioribus, in caſibus utriſque, adhibitum eſt : Hujus remedii vires antiſpaſmodicae quoque magnis laudibus efferuntur.

ALKALI VOLATILE.

Hoc remedium pro ſtimulo vulgo uſurpatur. Effectus ejus ſubito apparent et cito evaneſcunt,

evaneſcunt, et vires antiſpaſmodicae quibus inſuper gaudet, exhibitionem et tutiorem et efficaciorem reddunt.

MOSCHUS,

Doſibus magnis datus, viribus antiſpaſmodicis pollere, pro certo comperitur. Eventu ſecundo in morbis inflammatoriis uſurpatur, tuto etiam caſibus dubiis adhibendus.

CAMPHORA.

Experimentis probatum eſt, hoc medicamentum viribus ſtimulantibus fere nullis gaudere; ideoque, inſtar remedii prius memorati, caſibus dubiis adhibere licet, delirio, item ſpaſmis et irritamentis.

VESICATORIA.

Haec in ſtimulantium claſſem melius referri nonnulli exiſtimabunt; ſed vires horum

ſtimulantes

ſtimulantes non ſunt magni momenti, ut conſtat ex eorum in morbis inflammatoriis uſu, vireſque eorum ſtimulantes inter operandum conſumuntur, neque ultra partem cui admoventur, extendunt; adeo ut, quo propius parti affectae applicentur, eo majores edant effectus. Quoniam, morbo jam incipiente, remedia ſtimulantia quodammodo metuenda ſunt, et finem verſus eadem plus commodi ſecum afferunt, hocce remedio nonniſi provectis morbi ſtadiis utendum eſt; aliter enim hae partes initio occuparentur, quae poſtea veſicatoriis admovendis commodiſſimae forent.

BALNEUM TEPIDUM,

Hoc in febrium curſu provecto, perutile invenietur, quando ſtupor, tendinum ſubſultus, aut delirium apparent, aut ſanguis in capite accumulatur. Fomenta vel ſemicupium ſcopum eundum fere attingent. Multa alia laudantur remedia; quoniam vero eo-

rum maxime efficacia enumeravi, et, ex hactenus dictis, eorum quae ſuperſunt uſus liquido apparebit, reliqua ſilentio praeteribo. Haec de remediis quae adverſus debilitatem proſunt; nunc de putredine, (quam alteram mortis cauſam diximus), ejuſque remediis, agendum.

PUTREDO.

Symptomata putredinem in corpore indicantia haec fere ſunt: In telam celluloſam ſanguis effuſus, ſpiritus teter, halitus qualis a cadavere provenit, ſanguis ſolutus, et ſtatim poſt miſſionem in putredinem pronus, haemorrhagiae, ſudores colliquantes, ſaepe aphthae, faeceſque praeter ſolitum putridae.

In fluidis noſtris ad putredinem proclivitas naturalis eſt; ſed intra certos fines coercent tum motus ſanguinis conſtans, tum excretio perpetua, tum quoque alimenti recentis affluxus continuus. Quamvis vero talibus

bus auxiliis, ad hoſtem hunc dirum repellendum inſtruimur, tamen corpus aliquando ingreditur. Saepe ſyſtematis atoniae tribuendus; nam atonia haud minus putredinem, quam putredo atoniam, inducere valet. Cauſam hujus in putredinem proclivitatis, in morbi cauſa facile inveniemus, quae indolem talem ſubito viribus ejus ſedantibus excitare poteſt. In morbi curſu quoque generari poteſt; exinde *tonicorum* et *antiſepticorum* uſus manifeſte apparebit, quibus putredinem vel praecavere vel tollere poſſumus.

TONICA ET ANTISEPTICA.

CORTEX PERUVIANUS.

Ex hactenus dictis dotes ejus antiſepticae facile intelligentur, ex viribus enim ejus tonicis fluunt. Corporis ſolidas partes roborando, qualitates ejus antiſepticas in flui-

dis

dis exerit. Tantum reſtat de *uſu* ejus dicere. In febribus ubi non adeſt putredo, plerumque expectamus, ante corticis adminiſtrationem, donec ſaltem remiſſio apparuerit; ſed ubi adeſt putredo, mora talis tempus eſſet deperditum.

Si ſaeviora ſigna putredinis urgent, quamvis aegrotus corticem averſetur, imo et ſtatim evomat, ejus uſu perſtandum eſt, donec retineatur, vel prius laudanum propinandum, cujus ope vomitus compeſcitur.

VINUM.

Praeter corticem, in hoc morbi ſtadio neque validius neque utilius datur vino remedium; ex ſuis in ventriculum effectibus totum ſyſtema nervoſum fere ſtatim roborat, quo fit, ut omni putredini reſiſtere valeat. Remedium quoque plerumque agroto pergratum eſt; praeter ejus in ſyſtema nervoſum effectus, quando materia putrida in primis viis, vel in maſſa ſanguinis occurrit, antiſeptici

tiſeptici officio quoque fungitur. Ubi vinum diluere neceſſe erit, aqua frigida et grata et refrigerans invenietur.

FRIGUS.

Ut calor putredini maxime favet, ſic frigus eidem validiſſime obſtat. In morbis quorum vehementia aëris recentis et puri defectu augetur, (quippe nimirum aër aegroti effluviis aſſidue contaminatur) aurae cubiculum libere perflantes proderint, aut luſtrari poteſt aër aceto, vel pavimento ſparſo, vel ferro candenti affuſo. In febribus putridis nonnunquam ſuffocationis et caloris ſenſus naſcitur, aëre frigido facile tollendus.

POTUS FRIGIDUS.

Quae de aëre frigido diximus hic applicari poſſunt; potus vero gelidus auxilium adfert

dilu-

diluendo. Subſtantiae omnes nocivae certum accumulationis gradum requirunt, antequam agere poſſunt, atque ita affatim dilutae inertes evadunt; ubi in ventriculo et primis viis eadem adeſt putredo, tunc ad diluentia confugiendum eſt; ſic materies putrida vel mitis redditur, vel corpore eliminatur. Ob eandem quoque cauſam, alvum in febribus putridis ſubducere magno uſui erit. Aqua gelida ex fonte hauſta aegroto languido potum ſalubrem gratumque praebet.

SALES COMPOSITI.

Hi tanta copia exhiberi non poſſunt, ut vim antiſepticam edant, ſed pro diaphoreticis ſunt reputandi. Excretiones omnes ſalubres quoque promovendo, auxilio ſunt. Calorem etiam minuunt, et ſi inter efferveſcendum exhibentur, quicquid boni aër fixus praeſtare poteſt, facile praebebunt.

AER FIXUS.

Quidam hunc pro vinculo inter partes corporum conſtituentes reputavere; ſed, opinione hac omiſſa, boni ejus effectus in morbis putridis ab experientia comprobantur.

Vel per os in corpus recipi poteſt, ſcilicet, hauſtis liquidis tali aëre ſcatentibus, vel per enemata, ex creta et oleo vitrioli, vel alia maſſa effervescente, facile parandus.

CIBUS VEGETABILIS.

Fluida noſtra ſponte putreſcunt, et, niſi continuo egererentur, et cibo recente et minus putrido ſupplerentur, ſtatus talis in fluidis ſaepius accideret; huic vero incommodo alimentum recens obviam it, praeſertim cum ingeſta minime in putredinem vergunt, qualia ſunt *acida* et *aceſcentia*, quae pro antiſepticis magni pretii reputanda ſunt. Ventriculo

triculo recepta, ciborum indolem ſepticam minuunt vel ſiſtunt, et in primis viis excretionem temperatam, ea quae utiliſſima eſt via, promovent ; et ſi acida integra in ſanguinis maſſam penetrant, dotes eaſdem antiſepticas illic quoque exercere poſſunt. Quando calor motuſve ſanguinis augetur, et exinde indoles putrida fovetur, utriſque obviam eundo utilia inveniuntur.

R E G I M E N.

In febribus ad morbum ſanandum, vel ſaltem levandum, nil diaeta idonea magis confert. Ægroti deſideria attentionem magnam ſemper requirunt, nam fere optimi ſunt duces. Quae nocent raro appetunt, nocentis etiam ſufficeret vel aſpectus vel guſtus, et animi tranquilli exinde reddentur.

POTUS.

POTUS.

Pediſſequa febris neque magis perpetua, neque importunior, ſite. Potus gratiſſimi, ſaluberrimi quoque ſunt, quales ſunt aceſcentes vel refrigerantes, inque his maxima requiritur diverſitas; nam unum ſolummodo porrectum aeger cito faſtidiet. Hujuſmodi ſunt,

Serum lactis citrinum,
Pomorum vel ſalviae infuſa,
Aqua gelida,
Cereviſia tenuis,
Vinum aqua dilutum, &c.

Haec, ſi frigida propinentur, et gratiora erunt, ſitimque certius pellent.

CIBUS.

Cibum ſolidum raro appetit aeger, et eſcam animalem fere ſemper averſatur; in-

geſta ergo aceſcentia et aquoſa eſſe debent, et concoctu facilia. Aliquando fortaſſe diaeta lautiore opus erit; ſed parvum ſimul ſumendum; nam ſolita copia ventriculo adeo debili oneri foret.

MUNDITIA.

Haec magni intereſt: Aër purus refrigeransque, induſium mundum, et ſaepius mutatum, magno erunt et uſui et ſolamini. Quoad excreta, neceſſe eſt ut cito amoveantur: Requies fere ſemper convenit, et, quanquam aegrotus amicos quoſdam videre cupit, tamen ignotis et a curioſis cingi ingratum eſt; tales enim ſortis ſuae iniquae commonefaciunt; conandum eſt ergo ut aegri animus et tranquillus, et, ſi fieri poteſt, hilaris ſervetur.

Opuſculo hocce ad finem nunc perducto, cuilibet lectori liquido apparebit, nihil in eo contineri, niſi ſcholae in qua inſtitutus fui dog-

dogmata, neque veſtigia ullius, quam Praeceptoris clariſſimi Culleni, magis inſequi conatus ſum.

FINIS.